



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. Quomodo Christus Dominus determinaverit materiam, & formam
Sacramentorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

55. Ad secundam Confirmationem nego antec. quia illa Christi Domini verba solummodo dicta sunt ad illum, qui nomine personae offensa remittit, & concurrir ut Iudex, quod non convenit poenitenti, sed Sacerdoti. Sic licet DEUS, & homo concurrant efficienter ad producendam visionem, solus homo denominatur videns per illam; secus autem Deus; quia denominatio videns ultra concursum effectivum addit concurrere immanenter, quod non convenit DEO, sed homini. Pariter in nostro casu ad denominationem Ministri in iudicio remittentis non sufficit concurrere effectivè ad remissionem peccati, sed necesse est, quod concurrat ut Iudex, quod poenitenti non convenit, sed Sacerdoti.
56. Obijcies ultimò. Partes Sacramenti Poenitentiae debent esse sensibiles, cum Sacramentum definiatur *signum sensibile*; atque contritio utpote interna, & spiritalis non est sensibilis; ergo non est pars hujus Sacramenti. Respondet conc. maj. & nego min. quia quaecumque res cum alia concurrens fieri potest sensibilis vel perse, vel vel per aliam ipsam comitantem. Sic in Eucharistia Corpus Christi fit sensibile per verba consecrationis, ad eumque modum dolor in poenitentia fit sensibilis per confessionem humilem, & devotam.
57. Quod autem non detur Sacramentum, si confessio sit simulata, parum refert; nam tunc illud morale signum maneret apud homines, licet non daretur Sacramentum ex defectu veri constitutivi; sicut casu, quo simulata essent verba consecrationis, non daretur Sacramentum Eucharistiae ex defectu illius veri constitutivi, licet maneret illud morale signum sensibile apud homines. Idem esto in Sacramento Poenitentiae, si absolutio esset simulata; ad infallibilem namque connexionem cum gratia non sufficit illud signum, nisi constituat Sacramentum modo, quo à Christo Domino institutum est; à tali enim constitutione provenit infallibilis connexio cum gratia, ut saepe diximus.

SECTIO III.

Quomodo Christus Dominus determinaverit materiam, & formam Sacramentorum?

58. **A**ssero 1. Christus Dominus determinavit quoad substantiam materiam, & formam omnium Sacramentorum. Probatur 1. Determinare quoad substantiam stat in eo, quod nulla sit materia, & forma Sacramentorum, quae non comprehendatur sub significatione institutionis Christi Domini, nimirum si determinando ista verba, & res praeter illis, si determinando haec, vel illa, relinquendo alteri puram materialem electionem, dummodo formalis electio à Christo proveniat; sed sic se

habet materia, & forma omnium Sacramentorum. Probatur min. Materia, & forma omnium Sacramentorum, ut ex dictis constat, habent essentialiam connexionem cum gratia, quam conferunt ex opere operato obicem non ponenti; sed si non comprehenderentur sub significatione institutionis Christi Domini, non possent habere illam connexionem cum gratia, &c. Maj. & consequentia tenent; min. autem patet, quia neque homo, neque Angelus, neque Ecclesia possunt materiis, & formis eam conferre connexionem; ergo &c.

Probatur 1. ex Tridentino citato num. 16. ubi definit, omnia novae Legis Sacramenta instituta esse à Christo Domino; ergo instituta, & determinata sunt à Christo Domino quoad substantiam Sacramentum constitutum; sed istud Sacramentum constitutum sunt materia, & forma; ergo &c. Confirmatur ex eodem Tridentino sess. 21. cap. 2. definitur: *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensationes, salva illorum substantia ea statueret, vel mutaret, quae ipsius utilitati magis expedire judicaret.* Et quibus verbis clare patet, non posse Ecclesiam determinare, neque immutare substantialem materiam, & formam Sacramentorum; sed nulla assignabilis est alia ratio, nisi quia Christus Dominus ea substantialiter determinaverit. Confirmatur ex perpetua Ecclesiae traditione ab Apostolis derivata, atque unanimi consensu Patrum; ergo &c.

Assero 2. Christus Dominus non determinavit aequali restrictione materiam, & formam omnium Sacramentorum. Probatur 1. de rebus, siue materia; quia in Baptismo determinavit ablutionem aquae naturalis aptae ad abluendum, quae quidem vocari solet speciosissima; in Confessione, & extrema Unctione, res in genere, siue specie subalterna, nimirum Unctionem ex oleo olivarum, quarum plures species esse supponunt Auctores; in Eucharistia determinavit res partim quoad genus, nempe panem ex tritico, & vinum ex uvis, quarum plures etiam species assignant Theologi, & partim quoad individuum, nempe Corpus Christi.

In Sacramento Poenitentiae determinavit dolorem, cujus plures dantur species, videlicet attritio, & contritio, tum etiam confessionem peccatorum, quae potest esse multiplex species, ut per verba, per nutus, per scripturam; similiter in matrimonio plures sunt species consensuum, & plures species manifestationis mutui consensus, ut verbis, scriptis, nutibus, tunc dem in Sacramento Ordinis determinavit materiam in genere latiori, nimirum quodlibet signum proportionatum potestati, quae conferretur per talem Ordinem; sed in hoc stat, quod non determinaverit aequali restrictione materiam omnium Sacramentorum; ergo &c.

Probatur 2. de verbis, siue forma: quia in sex prioribus Sacramentis determinavit verba

malia; in matrimonio aut formalia, aut virtualia, deinde in nullo Sacramento determinavit idioma verborum, qualiter soni, aut syllabarum numerum. Insuper in sex prioribus determinavit formam verborum secundum communem, & usitatum significationem, in qua debet proferri à Ministro, & non in alio sensu; licet enim Minister Baptismi cum circumstantibus conveniret, ut per verbum *audio* significaret baptizo: & diceret: ego te audio in nomine Patris &c. non baptizaret, quia non sumeret vocem *audio* secundum communem usum; in matrimonio autem non determinavit verba, aut nuntus secundum communem usum, sed secundum communem, vel privatum significativum consensûs interni; discrimen inter matrimonium, & alia Sacramenta assignavi- mus num. 31. ex quo matrimonium, sicut alii contractus humani, fieri potest per quælibet signa manifestativa utriusque consensûs; sed in hoc stat, quod non determinaverit Christus Dominus formam omnium Sacramentorum æquali restrictione; ergo &c.

63. Affero 3. contra Hæreticos: Christus Dominus non determinavit verba ut concionatoria, sed ut consecratoria, & ritualia pro forma Sacramentorum. Probatur 1. Verba consecratoria, & ritualia sunt ea, quæ instituta sunt ad significandam, & causandam gratiam adhibenda ritu à Christo Domino instituto. Concionatoria autem sunt, quæ assumuntur ad instruendos fideles; sed verba, quæ sunt forma Sacramentorum, instituta fuere à Christo ad significandam, & causandam gratiam adhibenda ritu à Christo Domino instituto; ergo &c. Probatur min. ex Florentino in institutione Armenorum, ubi pro Sacramentorum formis assignat verba consecratoria, & ritualia, & non concionatoria: verba autem, utpote ut forma pertinent ad substantiam; sed ut constat ex Tridentino citato num. 59. Ecclesia circa Sacramenta nihil immutare potest quoad substantiam; ergo certum est, à Christo Domino instituta, & determinata fuisse verba consecratoria, & ritualia. Confirmatur ex perpetua traditione Ecclesiæ, & Conciliorum, tum ex Patribus videndis apud Bellarminum lib. 1. de Sacramentis cap. 19. ubi Dionysius verba Sacramentorum appellat invocationes consecratorias; ergo &c.

64. Probatur 2. quia Christus Dominus Matth. ultimo formam Baptismi assignans ait: *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii &c.* & præcipit observari hanc formam; tum etiam Luc. 22. sciens Sacramentum Eucharistiæ præcepit Apostolis facere, quod ipse fecit, sed Christus Dominus verba consecratoria adhibuit dicens: *hoc est Corpus meum*; ergo &c. quod autem idem suo modo contigerit in aliis Sacramentis, quamvis de omnibus ex Scriptura non constet, constat ex perpetua Ecclesiæ traditione ab Apostolis derivata, atque unanimi Patrum sensu; ergo &c. Confirmatur. Parvu-
R. P. Gorman Theolog. Tom. II.

li validè in Ecclesia baptizantur, ut vel ipsi Hæretici fatentur, sed non sunt capaces intelligendi verba concionatoria: ergo &c.

Respondent Lutherani, parvulos, dum baptizantur, habere usum rationis, & fidem actualem; ô mira responsio! quis non rideat adultos, qui sic respondent, amisisse simul cum fide vel rationem, vel saltem rationis usum: cæterum hæc responsa, licet à novatoribus excitata, vetustatem redolent, eaque usi sunt antiquissimi Hæretici, quos falsè S. Augustinus derider Ep. 57. ad Dardanum, eosque hoc dilemme evidentiè convincit, sic contra responsionem insurgens: pueri, dum baptizantur, plorant, & Baptismum, quantum possunt, recusant, vel ergo tunc rationis usum habent, vel non? si non habent, non credunt; si habent, peccant mortaliter, nec in Baptismo deponunt culpam originalem, sed admittunt actualem, nec Baptismum recipiunt validè, utpote inviti, & ratione urentes; ergo responsio illa evidenter est nulla. Ex dictis

Fit 1. materiam, & formam Sacramentorum adhibendas esse ritu à Christo Domino instituto; unde si in Baptismo v. g. alter ablueret, & alter verba proferret, non conficeretur Sacramentum. Fit 2. ad conficiendum Sacramentum nullam immiscendam esse moralem interruptionem verborum inter se, neque cum materia; nam in eo casu non haberet unionem moralem requisitam ad concretum morale, quale est Sacramentum à Christo institutum; quænam autem discontinuatio censenda sit moralis interruptio, solum deduci potest ex prudentum iudicio, ex quo designari solet major, aut minor attentâ naturâ Sacramentorum, eaque de causâ major intercapedo requiri semper solet in Sacramentis Pœnitentiæ, & matrimonii, quàm in aliis ad tollendam moralem unionem partium, vel quia non requiritur materia physice præsens, cum sufficiat dolor, & contractus moraliter perseverantes, vel quia in contractibus, & iudiciis humanis æqualis aut major partium interruptio non obstat.

Notat tamen accuratè Gobat Tractatu 1. de Sacramentis in genere sect. 2. num. 28. & 39. & Tractatu 2. de Baptismo casu 13. reg. 4. & 5. & 10. repetenda esse sub conditione Sacramenta Baptismi, Ordinis, & Confirmationis, si probabile sit, non fuisse ritè confecta, ut debeant evitari inconvenientia, quæ exinde possent oriri, imò Minister peccaret lethaler ita conficiendo Sacramentum, vide à num. 72. Fit 3. mutationem substantialem materiæ, & formæ Sacramentorum inducere nullitatem Sacramenti, mutationem verò purè accidentalem non impedire Sacramenti valorem, si tamen materiæ parvitas non excuset, esse ex genere suo peccatum mortale contra religionem, cum sit contra præceptum Ecclesiæ ex motivo religionis præcipientis. Unde qui in Hostiæ consecratione liberè, & advertenter omitteret particulam *enim*, peccaret mortaliter, quantum vis

vis conficeret Sacramentum, ob rationem à nobis assignatam.

68. Fit 4. tunc dari substantialem materiam mutationem, quando tanta est, ut juxta communem acceptionem, & existimationem hominum distinguatur morali specie ab ea, quam Christus requisivit, ideòque diverso nomine appellatur; tunc verò reputari accidentalem, quando non datur talis distinctio, sive una materia distinguatur specie physica ab alia, sive non: identitas enim, aut diversitas substantialis non tam attenditur juxta speciem, aut diversitatem physicam, quam moralem. Hinc licet vinum unius Regionis fortasse distinguatur specie physica ab alio, vel album à rubro, non tamen distinguitur specie morali à Christo instituta, ideòque substantialiter comprehenduntur sub institutione Christi Domini; e contra autem licet panis fortasse non differat specie physica à massa farinæ adhuc cruda, differat tamen specie morali, sive substantiali in ordine ad consecrationem, ac proinde nequit validè consecrari.

69. Fit 5. mutationem formæ tunc existimandam substantialem, quando mutatur ejus sensus, sive quando verba non retinent eundem sensum, quem verba à Christo instituta, tunc autem existimandam mutationem accidentalem, quando idem sensus remanet. Ratio est, quia verba in Sacramentis non operantur secundum sonum syllabarum, & verborum, sed secundum sensum. Hinc rectè Cardinalis de Lugo, & Bernal, mutationem in Sacramentis essentialem tunc contingere dicunt, quando mutatur aliquid à Christo determinatum; accidentalem verò, quando mutatur aliquid non à Christo, sed ab Ecclesia determinatum. Ratio est, quia Christus determinavit, solusque determinare potuit Sacramentorum substantiam; Ecclesia verò, licet non possit Sacramentorum essentias alterare, ut constat ex num. 59. potest plura præcipere circa eorum ritum, & consecrationem. Unde mutatio contra institutionem Christi erit substantialis, contra determinationem Ecclesiæ accidentalis, ac proinde quandoque Sacerdos poterit conficere Sacramentum validè, sed illicitè.

70. Fit 6. mutationem verborum cum animo introducendi errorem, videlicet nolendo significare, neque facere, quod significat, & facit Ecclesia, esse mutationem substantialem; mutationem verò verborum ex ignorantia Linguae Latinæ, aut balbutiei, qua ita proferuntur verba, ut significationem, quam apud homines habent, & à Christo instituta, apud audientes retineant, esse accidentalem. Qua de causa Zacharias Papa cap. *retulerunt* de consecrat. dist. 4. consultus, an valeret Baptismus collatus sub hac forma: *in nomine patris, & filii, & Spiritus Sancti*. Respondit valere, si Minister eam formam usus fuit ob ignorantiam Romanæ locutionis, non introducens errorem, aut hæresim.

Ratio autem Theologica ex dictis est, quia si proferrentur à perito Linguae Latinæ, significarent personas Trinitatis tanquam femininas, quod intendere, esset velle hæresim introducere, ac proinde specie morali distinguerentur ea verba à verbis à Christo institutis; si verò cum recta intentione ab ignaro Linguae Latinæ, aut balbutiente proferantur, significant personam dubio Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ac proinde non distinguuntur specie morali à verbis à Christo institutis, ex quibus bene pensis quàm plurimi decidi possunt casus particulares. Videatur Elparza quest. 6.

Fit 7. in consecratione Sacramentorum esse peccatum lethale, uti materia, & forma probabilibus, quando adsunt cetera; quoniam in re adeò gravi turò operari potest, & nihilominus se exponit periculo frustrandi Sacramentum, irrationabiliter operatur, ac proinde adhuc præciudicando ab omni lege positiva, mortaliter peccat, nec opus est in his ulterius immorari, quandoquidem ab Innocentio XI. damnata fuit ista propositio: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta injuri, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravi damni incurrendi*; quando autem non datur materia certa in casu necessitatis, sed solum probabilis, & probabilior, judico; Parochum ex contractu, & reliquos ex charitate teneri adhibere utramque, apponendo, v. g. primò probabiliorē, & quia fortasse illa non est una, apponendo postea sub conditione minus probabilem, quæ forsitan erit vera, & propria materia.

SECTION IV.

Solvuntur Objectiones.

Obijcies 1. contra primam assertionem: Baptismus tempore Apostolorum validè ministrabatur nomine solius JESU Christi; sed nunc non potest validè ministrari, nisi sub nomine totius Trinitatis: ergo forma Baptismi substantialiter mutata est ab ea, quam instituit Christus Dominus. Probatum maj. ex Act. 2. ubi dicitur: *baptizaverunt unumquemque vestrum in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum*; & cap. 8. nomine JESU Christi baptizabantur viri, ac mulieres; ergo Sec. Confirmatur. Nicolaus Papa cap. *à quædam* in deo, de consecrat. dist. 4. declarat, fuisse validum Baptismum datum in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi, reddiditque hæreticis nem lib. de Spiritu Sancto, cap. 3. *qui benedictus in Christo, in Patre, & Spiritu Sancto benedicitur, quia unum est nomen, una potestas*; & iterum infra: *qui Christum nominat, & dicit Filium, qui unctus est, & Patrem, à quo unctus est, & Spiritum Sanctum, quo unctus est*; quem sensum approbat ex doctrina S. Ambro-